



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 14. Mors Cardinalis Roberti de Nobilibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

ne populus suam denuo rabiem in ipsum defuncti cadaver effundere præsumeret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

Ceterum fateri cogimur, quod hic Pontifex præclaris admodum animi dotibus fuerit præditus, vitamque suam ad Christianæ perfectionis normam apprime composuerit, ingentique fidem catholicam in sua puritate conservandi studio flagrarit. Scripsit etiam quosdam tractatus, atque inter alios Symbolum, necnon alium de reformatione Ecclesiæ libellum, quem Paulo III. summo Pontifici nuncupaverat, nec minus edidit constitutiones Theatinorum, quorum veluti Author, primusque Superior existit.

§. XIV.

Mors Cardinalis Roberti de Nobilibus.

Hoc eodem anno ante Pauli IV. obitum tres Cardinales: quatuor vero sede vacante vivis erepti sunt: ex his primus erat Cardinalis Robertus de Nobilibus in urbe Montispolitiana in Etruria natus, atque de illustrissima urbevetana familia ortus, nam filius erat Equitis Vincentii de Nobilibus, ac Ludovicæ de Monte, quæ Julii III. Papæ soror fuerat. Is ab ipsismet incunabulis cum lacte materno pietatem sugebat, nec minorem in literis humanioribus pro-

Ciacon in vit.
Pontif. f. 3.
p. 784.
Turrigio in
vita Roberti
de Nobil.

Sæcn. XVI.
A. C. 1559.

progressum faciebat, magisterio usus doctissimorum Præceptorum, quorum sedulitate ingenium suum, quo liberaliter a Deo exornatus erat, adeo feliciter excolebat, ut anno ætatis suæ decimo nondum expleto Græcæ, latinæque linguæ peritia imbutus utrumque idioma mira facilitate calleret. Secessit postea Anconam Robertus cum Vincentio genitore suo, quem ad hujus urbis regimen sanctæ Sedis nomine Julius II. Pontifex destinaverat: hanc ergo occasionem percommodam nactus, toto, quo ibidem morabatur, tempore sedulo sacris literis, ac Theologiæ Mysticæ incumberebat, donec in eadem urbe percurso decimo tertio ætatis suæ anno Mense Decembri Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio sese Purpuratorum Collegio adscriptum esse perciperet: nihilominus ultra integrum annum post obtentam purpuram Anconæ moratus nonnisi die sexta Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Romam venit, ubi accepto galero mox sententiæ in publico Patrum Senatu ferendæ facultatem a Papa obtinuit, & quamvis adhuc ætate juvenis esset, sua tamen modestia, morum lenitate, miraque omnes probi Ecclesiastici partes explendi sedulitate cunctis Cardinalibus prælucebat: quapropter Paulus
 IV.

IV. Papa dicere solitus erat, quod Cardinalis de Nobilibus aut spiritus sine corpore, aut Angelus in carne esset: insuper apud eundem Pontificem tanta gratia, & auctoritate valebat, ut is, quamvis decimum quartum ætatis annum tunc nondum attigisset, Vaticanæ tamen Bibliothecæ Præfecturam obtineret, quæ alias doctioribus, & antiquioribus semper commendari solet: attamen hac dignitate haud diu potiebatur; quippe die undecima Januarii Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, ætatis suæ decimo octavo, præmatura morte ereptus fuit. Porro Franciscus Merius Turrigius, qui præclari hujus Cardinalis vitam conscripserat, observat, quod is sola Spinettensi Abbatia contentus nunquam alio beneficio augeri petierit. Hic idem Cardinalis, quamvis in tam juvenili ætate fatis cederet, plures tamen Sanctorum Panychyres conscripserat, quæ in unum volumen collectæ unacum brevi latino tractatu de gloria cœlesti typis editæ prodierunt.

§. XV.

Cardinalis Rosarii fata.

Alter erat Virgilius Rosarius Spoleti Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono natus,

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

Cias. p. 056.
Onuphr. in
Paul. IV.
Victorel. in
add. ad Cias.